

« excepto homine, » sive mancipio nostro. Nam, quia homo ratione utitur, potest is solo proposito revertendi conservare sui possessionem proprio domino; ac proinde per amissam ejus custodiam non perditur possessio ipsius, quamdiu nemo alius eum possidere coepit, l. *Possideri*. § *Nerva filius* juncta Glossa, § *Homine*. ff. de *Acquir. possess.* et clarius habetur in l. *Si rem mobilem*. ff. eod.

198. *Servus fugitivus non privat dominum possessione sua.* — Quin etiam, si servus sit fugitivus, atque a domino suo recesserit animo non revertendi, nihilominus ab isto possidetur, donec ab alio possideri coeperit. Nam servus non potest dominum privare sua possessione, sibi que aliquod jus acquirere, sed quidquid acquirat, domino acquirat: atque ideo, quamdiu ab alio non possidetur, remanet in possessione prioris domini, l. 4. § *Per servum*. ff. de *Acquir. possess.* et l. *Pomponius*. § 1. ff. eod. Unde Glossa loc. cit. notanter inquit, quod homo, sive mancipium, etiamsi non sit sub nostra custodia, adhuc a nobis possideatur: vel quia propositum habet redeundi, ut dictum num. præced. vel ea ratione, « qua est, » ob proxime dicta.

199. *Qui deperdidit rem mobilem, non potest contra hujus inventorem uti remediis possessoriiis.* — Ex præmissis plura inferantur corollaria. *Primo*, quando quis deperdidit rem mobilem, vel se moventem, ita ut ignoretur ubi sit (modo jam declarato) et illa ab alio inveniatur; non potest prior dominus contra istum inventorem uti remediis possessoriiis, neque instituere iudicium possessorium contra eum; cum revera non amplius sit possessor, sed ipsam rei possessionem amiserit.

200. *Potest tamen contra hunc agere iudicio petitorio.* — Licebit tamen ipsi agere iudicio petitorio, et rem a se amisam, et ab altero inventam, perire per conditionem ex l. ult. *Unde vi*. Nam adhuc retinet dominium talium rerum, arg. cit. l. ult. et *Pomponius*. § 1. ff. de *Acquir. possess.* cum similibus. Atque insuper « omnes scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere; » prout dicitur cit. l. ult. c. *Unde vi*. Ubi proinde invasores, seu possessores talium rerum, quas restituere nolunt, ut prædones et fures puniri jubentur.

201. *Bona inventa sunt dominis suis reddenda.* — Concordat textus in can. *Si quid*. 14. q. 15. clarissime dicens bona inventa esse prioribus dominis reddenda, illis S. Augustini verbis: « Si quid invenisti, et non

reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti. » Idem tradit D. Hieronymus, relatus can. *Multi*. 14. q. 5. dum inquit: « Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant et dicunt. Deus mihi dedit: cui habeo reddere? Discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat » Intellige, quando scitur prior dominus, qui talia deperdidit, prout amplius declaravi in *Theologia morali*, tractat. 7. distinct. 5. n. 6. 7. et 8.

202. *Quid, si pecora nostra in sylva aberraverint, aut gallinæ vel anseres avolarint?* — *Secundo* infertur, quod si pecora nostra, vel greges jumentorum aberraverint in sylva, ita ut post diligentem inquisitionem ea amplius non inveniamus: tunc quidem ipsorum perdamus possessionem, non vero dominium. Unde si quis domesticas gallinas, vel anseres ex turbatione aliqua longius avolantes lucris causa detinuerit, furtum committere intelligitur, § *Gallarum*. Instit. de *Rerum divis.* et l. *Naturalem*. § *Gallarum*. ff. de *Acquir. rerum. domin.*

203. *Fera animalia quamdiu possideamus?* — *Tertio* infertur, quod loquendo de feris animalibus, quamdiu ea sub nostra existunt custodia (puta, quia pisces inclusimus in piscinis, feras bestias in vivariis, aves in aviariis, aut saltem ipsæ cicuratæ consuetudinem redeundi obtinent) tamdiu hujusmodi feras bestias possideamus, earumque retineamus dominium, l. *Possideri*. § *Item feras*. ff. de *Acquir. possess.* juncta l. 3. et l. *Naturalem*. ff. de *Acquir. domin.* et § *Feræ*. Instit. de *Rerum divis.* Quod si vero hujusmodi feræ bestię nostram custodiam effugerint, aut secundum pristinam consuetudinem redire desierint, non tantum earum amittamus possessionem sed etiam dominum: eo quod et nostram evaserint custodiam, et in naturalem libertatem suam sese receperint; ac proinde fiunt primo occupantis, prout in allegatis juribus amplius declaratur.

204. *Discrimen inter amissionem possessionis rerum immobilium.* — Quæritur III. Qua ratione amittatur possessio rerum mobilium furtive subtractarum, ac immobilium violenter ab alio occupatarum? Resp. I. Inter amittendam possessionem rerum mobilium, et immobilium, ab alio violenter aut furtive occupatarum, est notabile discrimen. Siquidem possessio rerum immobilium, per alium injuste occupatarum, non prius amittitur, donec dominus re cognita, animum possi-

dendi, sive corporalem earum possessionem recuperandi deposuerit: quia videlicet vel ob timorem futuræ resistentiæ non audet reverti ad recuperandam possessionem fundi, v. g. vel castri, ab alio violenter occupati, l. 3. § *Si quis*. et l. *Sed si nolit*. et l. *Si id quod*. ff. de *Acquir. possess.* Vel revertatur quidem; tamen reversus non admittatur, sed ab alio repellatur, l. *Si id quod*. § fin. ff. eod. Nam, donec prior dominus animum possidendi rem suam immobilem deposuerit, censetur possessionem ejus civilem adhuc retinere: haud obstante, quod alius ipso absente occupaverit possessionem naturalem ipsius, l. *Clam possideret*, § fin. ff. eod. ac notat Glossa communiter recepta ibid. § *Non clam*.

205. *Et mobilium ab alio injuste occupatarum; et quale?* — Econtra vero possessionem rerum mobilium, per furem aut prædonem injuste ablatarum, hoc ipso confestim amittitur, etiam ignorante domino, seu possessore prioris. Patet hoc ex l. *Rem quæ nobis*. ff. de *Acquir. possess.* ubi expressum habetur, quod rei nobis subtractæ, aut vi ereptæ, amittamus possessionem: nisi forsitan surripuerit talis, qui in nostra potestate est; quia tunc per ipsum possideremus: quæ est fallentia hujus cæteroquin generalis doctrinæ. Hinc Glossa, ibid. § *Erepta*, et doctores passim inferunt, « quod rerum mobilium vilis et abjecta est possessio, » utpote quæ tam facile, domino etiam ignorante, deperditur; estque jam supra § 1. n. 3. dictum. Concordat textus in l. *Possideri*. § *Si rem*. et l. *Si rem mobilem*, ff. eod. ubi, si quis rem apud se depositam, vel sibi commodatam, furti faciendi causa contrectaverit, sive animo possidendi ut suam loco moverit, dominus confestim possessionem ipsius amittere dignoscitur.

206. *Ac ratio talis discriminis.* — Accedit ratio disparitatis inter res mobiles, et immobiles. Siquidem possessio mobilium (excepto homine) ex eo habetur: quia existunt sub nostra custodia, sive potestate, cit. l. *Possideri*. § *Nerva filius*. et l. *Si rem mobilem*. ff. de *Acquir. possess.* Unde quamprimum earum custodia est neglecta, vel amissa, ita ut licet velimus, ipsarum naturalem possessionem amplius nancisci non possumus (sive dein alius eas occupaverit, sive non) perditur prior possessio, uti locis citatis dicitur. Econtra vero res immobiles nostra custodia non indigent, sed semper manent loco affixæ; sicque potest earum dominus semper, quando-cumque voluerit, ipsarum naturalem posses-

sionem adipisci: ac proinde merito censetur dominus earundem civilem retinere possessionem (haud obstante, quod ipso absente ab alio fuerint occupatæ) donec deposuerit animum ipsum possidendi. Prout fieri censetur, si vel ex timore repulsæ non audet reverti ad recuperandam possessionem naturalem illius, vel revertens non admittitur, sed repellitur, ut dictum.

207 et 208. *Per aquarum inundationem perditur rerum possessio. Nisi ea sit utilis agris sitientibus.* — Quæritur IV. Utrum per aquarum inundationem amittatur rerum possessio? Resp. I. Fundi, sive loci cujuscumque possessio perditur etiam inundatione aquarum, fluminis videlicet, aut maris. Textus est in l. *Possideri* § *Labeo*. ff. de *Acquir. possess.* et l. *Qui Universas*. § *Item quod a mari*. ff. eod. ubi dicitur: « Quod a mari, vel flumine occupatum sit, possidere nos desinimus. » Accedit ratio, quia, cum aquis non facile possit resisti, censetur quis animum possidendi deposuisse, dum spes nulla adest recuperandi fundum aquis obrutum. Udalricus Zasius cit. l. *Possideri*. § *Labeo*. n. 1, et seqq. et Jason. ibid. n. 1. et seqq. Ubi proin Jason corollarie infert, quod per inundationem perdatur possessio, non solum naturalis, sed etiam civilis; sicque per ejusmodi inundationem perdatur possessio, non solum naturalis, sed etiam civilis; sicque per ejusmodi inundationem interrumpatur præscriptio: simulque, quod talis amissio possessionis procedat etiam in ignorante.

Resp. II. Nihilominus data conclusio plures patitur limitationes, seu fallentias. Et primo quidem ea fallit, estque limitanda, quando inundatio illa est utilis fundo, sive agris sitientibus: nam talis non nocet possessioni nostræ. Prout Nilus quotannis inundare solet, totamque Ægyptum reddere frugiferam, l. II. c. de *Alluvionib.*

209 et 210. *Per aquarum inundationem perditur rerum possessio, vel modica solum, aut modico durans tempore.* — Deinde non perditur possessio per inundationem, si hæc sit tam modica, quod fundus adhuc pedibus calcari possit. Siquidem ad perdendam possessionem requiritur talis inundatio, quod vi et impetu aquarum possessores expellantur a naturali possessione fundi: si autem quis fundum adhuc pedibus calcaret, profecto naturaliter eidem insisteret.

Ullterius data conclusio est intelligenda in inundatione diu duratura. Nam quæ modico

tempore durat, ut puta per diem, biduum, aut etiam triduum, non tollit possessionem, imo nec attenditur, arg. l. *Pretia rerum*. ff. *Ad legem Falcidiam*, et l. *Si ager cuius*. ff. *Quibus modis ususfructus amittit*. ac notat Baldus in c. *Illud* n. 2. d. *Præscript.* et Jason cit. l. *Possideri*. § *Labeo*. n. 9. et seqq. ff. *de Acquir. possess.* fusius hoc declarans.

211. *Et nisi possessor resistat inundationi obijciendo repagula.* — Quarto limitatur eadem conclusio, quando possessor resistit inundationi obijciendo repagula, valla, et hujusmodi: quia quamdiu quis resistit, tamdiu non perdit possessionem, arg. l. *Si id quod*. § *fin.* ff. *de Acquir. possess.* Zasius, et Jason ubi supra, cum aliis.

212. *Non tamen per inundationem amittitur rerum dominium.* — His adde, quod, quamvis per inundationem (cessantibus dictis quatuor limitationibus) perdatur possessio fundi; non tamen idcirco dominus amittat proprietatem illius fundi, l. *Adeo quidem*. § *Insula*. ff. *de Acquir. rer. domin.* ubi dicitur: « Namque inundatio speciem fundi non mutat; et ob id, cum recesserit aqua, palam est ejusdem esse, cuius et fuerat. » Concordat textus in l. *Pomponius*. § 1. ff. *de Acquir. possess.* ubi lapidum tempore naufragii in Tiberim demersorum, sed post tempus extractorum, dominium prior dominus retinere dicitur, non vero possessionem. Siquidem possessio facilius perditur, quam dominium l. *Si quis vi*. § *Differentia*. ff. eod. junctis juribus proxime allegatis; et notat Jason in l. *Rem que nobis*. n. 6. ff. eod. Et quia nihil commune habet proprietas cum possessione, l. *Naturaliter*. § 2. ff. eod. ex amissione unius non potest inferri amissio alterius.

213. *Quasi possessio jurium incorporalium, quæ competit ratione dignitatis aut loci, hoc omisso perditur.* — Quaritur V. Qualiter perdat quasi possessio incorporalium? Resp. I. Quasi possessio jurium incorporalium quæ competunt ratione certæ dignitatis, vel loci, puta castri, eo ipso deperditur, quod quis illius dignitatis seu castri possessionem amittat. Ita Abbas Panormit. in c. *Olim inter*. 17, n. 14, *de Restitut. spoliat.* Imola in Clem. un. § 1, *de Foro compet.* et alii, post Innocentium in c. *Cum venissent*. 2, *De in integr. restit.* ubi inquit quod si unus fuit ab alio exclusus a sua dignitate, ille alius exercebit jura dignitatis, qui est in possessione, et non alter exclusus. Accedit ratio: quia tale jus incorporale coheret dignitati, vel loco supponitur;

prout v. g. jurisdictio coheret territorio, seu administrationi l. ult. C. *Ubi et apud quem*, etc. Ergo expulsus ab hoc, etiam expulsus videtur a jure incorporali eidem inhaerente: nam connexorum idem est iudicium, arg. c. *Translatio*. *de Constitut.* cum similibus; ac tradit card. Tuschus litt. C. conclus. 626 et Barbosa tract. *de Axiomat. juris*, axiomat. 51 citans alios.

214. *Limitatur istud in casu Clem. un. de Foro compet.* — Limitatur tamen hoc in casu Clem. un. *de Foro compet.* ubi per concilium generale Viennense conceditur episcopis expulsis a Sedibus suis, quod in locis aliarum diocesium (servata forma ibidem præscripta) possint procedere contra expulsores, eorumque fautores et consiliarios; atque inter subditos suos jus dicere. Ratio specialitatis hujus affertur ibidem, illis verbis: « Ne injuria in eorum expulsionem ipsorum irrogata Ecclesiis, hoc prætextu maneat impunita. » Quasi diceretur episcopum posse vindicare injuriam Ecclesiæ suæ illatam, etsi non propriam. Glossa ibid. § *Ecclesiis*.

215. *Amittitur insuper per hoc quod quis sciat tale jus exerceri ab alio, et non contradicat, sed patiatur.* — Resp. II. Insuper quasi possessio jurium incorporalium amittitur per hoc, quod quis sciat tale jus, puta jurisdictionem, exerceri ab alio, et non contradicat, sed patiatur; etiamsi hoc fiat, quia non audeat contradicere: tunc etenim animo pusillanimitatis videtur possessionem deseruisse, atque hanc in alium transtulisse. Ita Abbas cit. nu. 14, post Innocentium ibid. estque communis aliorum; et concordant dicta superius § 3, n. 167 et seqq. Accedit textus in l. *Et si forte*. § *Sciendum*. ff. *Si servitus vendit*. ibi: « Sed et si patiente eo ædificavero, ego possessor ero effectus servitutis. » Ubi Glossa recte concludit: « Sic ergo patientia præjudicat. »

216. *Secus, si resistat.* — Additur notanter « non contradicat, sed patiatur. » Quia, quamdiu quis, quantum in eo est, resistit et non permittit alterum jus, sive jurisdictionem exercere, tamdiu non perdit quasi possessionem illius. Hinc, quando episcopus, v. g. non patitur populum parochiæ suæ servare sententiam interdicti ab alio episcopo prolatam, quinimo subditos eam observantes prohibet, punit, atque contra ipsos sive spiritualibus, sive temporalibus pœnis procedit (quod juste facere potest ad defendendum jura sua, c. *Olim causam*. 12. *de Restitut. spoliat.* cum similibus), hoc ipso conservat possessionem ju-

rium suorum: haud obstante, quod populus eo ignorante per aliquot dies ex timore observasset dictam interdicti sententiam, ab altero episcopo prolatam, c. *Olim inter*. 17, eod.

217. *Aut saltem publice protestetur.* — Quod si vero propter potentiam alterius hoc non potest, aut ex timore non audeat facere, consilium erit, ut ad conservandum jura sua istud publice protestetur, arg. can. *Pontifices*. 7, q. 1, juncta Glossa, § *Cum cautela*. et c. *Tastoralis*. 11, § *Verumtamen*, *de Offic. ordinar.* et cap. ult. *de Appellat.* cum similibus.

218. *Cur possessio incorporalium retineatur per solam resistantiam, vel protestationem, non item corporalium.* — Nec obstat, quod ad mantinendam possessionem rerum corporalium, etiam immobilium, non sufficiat resistantia, vel protestatio prioris possessoris, l. *Si id quod*. § *fin.* *de Acquir. possess.*, ubi reversus ad recuperandam possessionem fundi, ipso absente per alium occupati, sed repulsus, censetur possessionem illius fundi amittere. Resp. enim disparitatem esse inter corporalia et spiritualia, seu jura incorporalia: siquidem incorporalia tenacius inhaerent, sicque difficiliter perduntur, quam corporalia, quæ citius amittuntur, ac destruuntur, c. *Inter corporalia*. 2. *de Translat. episcop.* Unde non mirum, quod possessio incorporalium retineatur per solam resistantiam, vel protestationem: non item possessio incorporalium ab alio invasorum, seu occupatorum. Innocentium cit. c. *Olim inter*. et Joan. Andreas ibid. n. 3, et Abbas n. 14, *de Restitut. spoliat.* et alii.

§ VII.

DE PROBATIONE POSSESSIONIS, PRÆSERTIM IN INTERDICTO: *Uti possidetis*.

219. *Probatio domini est difficilis.* — Quaritur I. Quibus modis generatim probetur possessio? Resp. I. Possessionis probatio non usque adeo difficilis est, haud obstante, quod probatio domini sit difficillima. Ita Mascardus *de Probationibus*. concl. 871, n. 10, juncta concl. 539, n. 1, Maranta in *Praxi aurea*, part. IV. dist. 9. n. 43; Gailus, lib. II, *Practio*. observat. 26, n. 2. et alii. Et quidem quod probatio domini sit difficilis, passim latentur doctores: eo quod ad ejus probationem plura requirantur, arg. l. *Cum res*. C. *de Probation.* Nam, ut inquit Glossa ibid. § *In vacuam*. sa-

tis non est ad probationem domini alicujus rei, puta fundi, quod quis probet ejus emptionem; sed ulterius oportet probare, quod venditor fuerit dominus. Si enim venditor non fuisset dominus, etiam emptorem non potuisset facere dominum illius rei: « quia nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habet, » ut dicitur l. *Nemo*. 53, ff. *de Reg. jur.* Atqui notum est, quanta sit difficultas in probando quod venditor fuerit dominus rei venditæ. Facit ad hoc ipsum textus in c. *Ad probationem domini*. C. *de Probat.* ubi proin Glossa fin. notandam inquit, « quod res mea, pecunia empta, non ideo est mea, ut l. I, C. *Si quis alteri vel sibi*, » etc.

220. *Non item probatio possessionis. Ad hanc probandam sufficiunt leviores, ac semiplenæ probationes et quando?* — Econtra, quod possessio sit facilis probationis, ex eo liquet: quia hæc illico probatur per traditionem rei a priore possessore factam: atqui patet hoc esse facillimum, ut taceantur plures modi probandi possessionem. Accedit ratio, quia quæstio possessionis censetur esse parva, et modici præjudicii, utpote quod est reparabile in petitorio, arg. l. un. c. *Si de momentanea possessione*, etc. et l. *Momentanea*. c. *Qui legitimam personam habent*, etc. Unde, quod in probanda possessione sufficiant leviores, ac semiplenæ probationes, ut puta per famam, vel unum testem, tenet Bartolus in l. II, § *Si vero*, c. *Ubi in rem acto*, etc.; Menochius, *de Recuperanda possessione*, remed. 15, n. 410 et seqq.; Maranta cit. n. 43 et Mascardus, loc. cit. concl. 1205, n. 1 et seqq. allegans plures alios.

Fatendum tamen, quod prædicti auctores istud dumtaxat admittant in probatione possessionis momentaneæ, aut quæ est modici præjudicii, cum facile reparari possit in petitorio. Uti accidit in possessione ex interdicto. *Quorum bonorum*: item in possessione ex Carboniano edicto, vi cuius impubes, cui movetur controversia, an inter liberos sit, causa summariter cognita datur possessio bonorum hæreditariorum, et iudicium desuper in tempus pubertatis differtur, l. I et seqq. c. *de Carboniano edicto*. Et idem fit in possessione ventris nomine, quæ datur mulieri prægnanti in bonis mariti, ut inde alatur. Secus est dicendum de probatione possessionis illius, quæ parat plenum præjudicium, utpote non reparabile per petitoriam: eo quod dominium sit difficilis, et quandoque impossibilis probationis. Tunc enim maximi